



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Festum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

tenentur ad amplius de iustitia, nisi inter-
uenerit lex, promissio, vel consuetudo. nu-
mer. 109.

C Qui accipiunt œconomos, architrachinos,
pueros, satellites, & alios similes, cum obli-
gatione, vt sint parati ad seruiendum illis,
omnibus horis, quibus eis placuerit, & tan-
tùm eis præbent certam pecuniam, quæ non
sufficit ad ipsorum victum, tenentur soluere
reliquum quod fuerit necessarium, & insu-
per honestam aliquam mercedem. Quod si
tantùm accipiunt eos, vt sint parati ad in-
seruiendum illis, tres quatuorve menses so-
lùm tenentur præbere id quod obsequia il-
lorum mensium promerentur. num. 110.

D Peccat Dominus qui exigit iuramentum
à famulis ea intentione, vt in omnibus cas-
ibus declarent auctorem alicuius facti. So-
lùm enim est licitum, in illis casibus in qui-
bus externi possent reuelare. cap. 12. nu. 21.

F E S T I V M.

A Qui omittit missam occurrentibus die-
bus festis, committit duo peccata. cap.
11. num. 4.

Præceptum diligendi Deum, non obligat
pro diebus festis. num. 6. Nec præceptum
contritionis. cap. 13. num. 17.

Omnia

Omnia festa, etiam dies Dominicus, sunt B
solum iure humano introducta. num. 1.

Festa ab Episcopo præcepta seruanda sunt
à religiosis etiam exemptis. Festa verò præ-
cepta per ius commune consuetudo auget,
vel restringit. num. 5.

Festorum obseruatio non est tam stricta C
nunc, sicut obseruantia sabbati in lege vete-
ri. Et præcepto de colendis festis solum præ-
cipitur cultus exterior, qui consistit in au-
dienda missa, & abstinendo ab operibus ser-
uilibus. num. 2.

Opus autem *seruile est illud, quod propriè*
conuenit seruiantibus. num. 3.

Possunt tamen in festis exerceri septem D
opera. I. Ea quibus seruimus Deo in di-
uino cultu. II. Quibus exercemus spiri-
tualia, nempe docere verbo vel scripto. III.
Quæ sunt necessaria ad propriam salutem.
IV. Quæ sunt necessaria ad vitandum damnũ
sibi, vel proximo. V. Quæ sunt necessaria ad
salutem corporalem proximi. VI. Quibus
parantur cibi. VII. Piscari. num. 2.

Quinque verò opera non seruilia prohi- E
bentur in festis, scilicet Nundinæ, Iudicium
ciuile, vel criminale, Iuramentum, nisi præ-
stetur pro pace, vel alia necessitate. Omnis
processus & strepitus iudicialis, nisi pietas
aliud suadeat. num. 3.

X 3

Necessi

Necessitatis gratia possunt fieri multa opera seruilia, quæ non possunt pietatis causa exerceri, sicut ædificare, pontes reficere, & alia huiusmodi. cap. 13. num. 4.

Ea quæ sunt præambula operibus quæ natura sua tendunt in cultum Dei, si simul, vel paulò antè fieri solent, licita sunt, secus si ante festum commodè fieri possent. Ibidem.

Opus quod in festo est licitum, quia factum est gratis, erit etiam licitum, si fiat ob pecuniam. num. 5.

Intentio enim lucrandi non facit opus seruale, id quod ex se non est tale. Ibidem.

Festa non sunt seruanda à primis vespertis vsque ad secundas: atque hoc propter consuetudinem. num. 5. §. 11.

Festa regionis obseruanda sunt à commorantibus in illa etiam alienigenis. nu. 5.

Licitum est à proprio oppido discedere in vigilia festi, vel in ipso die in aliud oppidum (vbi festum non seruatur) laborandi gratia, ita tamen, vt si in ipso die discedunt, audiât missâ. Et qui iter faciens transit per locum, vbi festum seruatur, tenetur missam audire, quamuis nō ita strictè sit obligatus. n. 5. §. 6.

Ab obseruatione festi excusant paruitas materiæ, consuetudo, necessitas salutis spiritualis, vel corporalis suæ, vel proximi, vel detrimentum imminens suis vel pro-

ximi

ximi rebus, quod nec differri potest, nec preueniri. Vnde excusantur, qui deferunt frumentum ex area in horreum, vel uuas ex uinea quando timentur pluuia, & qui equos iter agentium soleas ferreas calcant. Qui vendunt carnes in festis, easque preparant, quando antea non potuerunt preparare. Et Tabernarij vendentes cibos, etiam si vendant eos ad ludendum, vel inebriandum, ubi riget consuetudo. Et agasones qui iumentis onerariis diebus festis non interrumpunt iter. Non autem qui diebus festis proficiuntur de suis domibus; cum tamen se continere potuissent, vel in aliud tempus differre, nisi antea vel post audiant missam. si vero conducant iumenta deonerata, excusantur: licet non interrumpant iter: quia hoc non est aliud quam iter facere: & iter facientes, licet toto die iter faciant, excusantur. si similiter etiam excusantur excoquētes vitrum, ollas, tegulas, calcem, quorum decoctio non potest intermitteri in alium diem: & tonsores, qui infirmis venas aperiunt: & serui, qui compelluntur ab heris ad aliquod opus seruile (dummodo non sit in contemptum festi) qui si resisterent, paterentur damnum magnū personale, vel reale. Et idē est de liberis & uxoribus existentibus sub potestate maritorum, vel patrū, ad id iusto metu compulsi. Quod si

X 4 famuli

famuli sint stipendiarij, finito tempore cōductionis discedāt. Serui verò qui cōpelluntur violare festū, in contēptum festi, debent potius pati mortem quā violare. c. 13. n. 6. 7.

Violāt autem festū, qui emunt, vendunt, aut cōmutant per multū temporis, prāterquā in nundinis, & hoc propter consuetudinē prāscriptam. Non violat qui emit, aut vedit res, de quarum pretio nil conueniendum est, eo quòd sint iam aestimatae, & parum temporis infumatur. Neque barbitonsor, qui vini, vel alteri barbā tondet, secus si multis. Nec qui piseatur certum genus piscium, quòd tantum certis diebus aduenit. num. 8. 9.

Non violat, qui molit in molendinis fluminum, seu ventorum, qui sine magna occupatione molunt, maximè si adsit cōsuetudo. Violat tamen qui laborat etiam pro pauperibus, principalitè propter aliquod commodum, vel amicitia, quā propter eleemolynam vel etiam paupertatem quā nō sit adeò magna. Et qui laborat in reficiendis pōtib, aut viis absque magna necessitate. num. 10.

Licitum est venari in festo etiam quaestus gratia, dummodò missa audiatur. secus peccat mort. Neque etiam peccant vacantes bellorum simulacris, torneamentis vel choreis. n. 11. 15. quā non licent in maiori festo, non licent in minori: solum erit differentia in hoc

hoc, quod Maius festum maiorem causam
requirit ad excusandum laborantes. nu. 10.

Non violat festum doctor consulens etiã
ob lucrum. Nec informans iudicem etiam
cum procuratore, verbo vel scripto. num. 12.

Peccat iudex in festo audiens litigatores,
nisi ob iustam causam. n. 13. & faciens vt te-
stis iuret vel exercens aliquem actum iuris-
dictionis, qui non sit meræ executionis, nisi
excusetur iusta causa. num. 25.

Peccat tabellio propter auaritiam sine ne-
cessitate conficiens instrumeta de rebus quæ
in alium diem differri possent. c. 25. nu. 54.

Peccat qui transcribit librum propter lu-
crum. Non tamen scribendo etiam propter
lucrum literas, consilia, nec instrumenta de
rebus quæ licitè fiunt in festo, quoniam scri-
bere, de se non est seruile, etiam ob lucrum:
transcribere autem, sic. ca. 13. n. 14. nec etiam
peccat pulsans aut cantans. ibid.

Laborans ex necessitate in festo nec peccat
nec incurrit excommunicationem ab Episcopo
latã contra laborates. Et quãdo necessitas est
clara, non requiritur licentia Episcopi. n. 15.

Peccat Parochus qui violantes festum co-
git ad petendum veniam publicè, cum eo-
rum infamia: & multò magis si violatio fuit
occulta; & multò peius si illam parochus
nouit ex sola confessione. num. 16.

X 5 Peccat.

Peccat mortaliter, qui non audit missam in die festo, vel non attentè. num. 17. Sed de his vide. tit. Missa. I V.

Oblatio inter missarum solemniam in die festo quando sit de præcepto. vide, Oblatio.

FIDEI IVSSOR, potest recipere aliquid pro fideiussione cessante fraude. cap. 17. num. 283. lit. A. in Nou. num. 284.

Non tenetur solvere ante excussionem principalis. num. 267.

F I D E S.

A OMNES Christiani adulti tenentur sub peccato mortali credere explicitè articulos fidei, maximè quos Ecclesia Catholica Romana solemniter celebrat: quique continètur in symbolo Apostolico. Reliqua autem omnia quæ credit eadem Ecclesia Catholica, tenentur credere saltem implicitè: hoc est, credere in genere esse vera. Præf. 1. num. 10. No. num. 15. & cap. 11. num. 18. & in No. num. 22. §. 5. & 6.

B Olim ante aduentum Christi redemptoris nostri satis erat credere vnum Deum remuneratorem bonorum, & punitorem malorum. Sed post promulgationem Euangelij non satis est credere hoc, quamuis in genere, & implicitè credat quicquid credit Sancta mater Ecclesia. Vnde peccat mortaliter, qui negligè